Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 233
Quelle:
Copyright:

CLII.

U.75 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 360. 4. currente calamo perſcriptus, et rubricis enotatus Commentarius eſt in *Eccleſiaſticum* hujus initii: *Summi regis palatium in quatuor conſummatur, hoc eſt, in fundamento et parietibus, tecto et ornato interiori* &c. *Rabano*, quo plurimum utitur, etiam *Prologum* ſublegit, et tertio loco poſuit Autor, denique ita concluſit: *Vna autem alarum iſtarum fuit iſte ihesus filius ſyrach — alia autem ala eſt yſaias, quem poſt illum librum iuuante domino proponimus nos lecturos. Deo gratias.* Accedit Index rerum alphabeticus. Thecae anteriori inſcriptum: *Egregius pater ſacre theologie ac arcium liberalium doctor preclarus eccleſie Wienn. Decanus atque canonicus predignus Magiſter Paulus de Mellico ad Collegium Ducale Wien. hunc librum teſtatus eſt.* Et ſupra: *Anno domini &c. 48. propter deum ad conſilium Magiſtri Vrbani plebani in Stain.* An is *Urbanus de Mellico* Noſtri *Pauli* conterraneus, qui poſitis a. 1435. Academiae faſcibus fortaſſe ſacer illius Urbeculae non procul a communi patria, ſed ultra *Danubium* ſitae Curio effectus ſit, ejusque ſuaſu *Paulus Eccleſiaſticum* exponendum ſumſerit? *Locheri Speculum Acad.* illi annum 1442. huic vero 1479. emortualem adſignat. Dorſum Codicis quidem *Paulum* Expoſitionis autorem facit; verum quomodo eam a. 1448. aut orſus eſt, aut perfecit ad conſilium hominis a. 1442. demortui? Itaque vel annus *Locheri* in mendo cubat, vel Codicis dorſum fallit. Conſpicuus ceterum inter Patres Academicos vir erat *Paulus*, ut ejus ad Synodum *Paſſavienſem* a. 1470. miſſio, et quater geſtus ab a. 1451. ad a. 1471. ſummus Magiſtratus teſtatum facit.

CLIII.

Codex chartaceus lat. Sec. XV. U. 135 Folior. nunc 276. f. per duas columnas exaratus, rubro diſtinctus, et, ut praefert, *deputatus Thoma de haslpach operante pro libraria ducalis Collegij in wyenna ab honorabili viro Vlrico presbitero Prebendario in Kotwico, dum adhuc viueret*, ſed qui 1440. *de menſe Aprilis obijt*, vaſtum, et VIII. Libris conſtantem *Commentarium in Iſaiam* exhibet, inſcriptum: *Incipit Prologus Eruegij ſuper yſaiam. Ervegium* hunc *Herveum* intellige O. S. B. Monachum *Dolenſem* in Dioec. *Bituric.* Sec. XII. Scriptorem, quem *Codex Campilil.* pejus in *Curveijum* corrupit teſte *Bern. Pezio* in *Diſſert. Iſag.* T. III. *Theſ. Anecd.* qui dicto T. Opus noſtrum typis repraeſentavit, praevie res et ſcripta *Hervei* ſolerter, ut ſolet, executus, unde manum abſtineo, id notare contentus: defuiſſe in Viri *Codicibus Prologum*, qui nobis ita inchoat: *Yſaias filius amos non illius prophete ſed alterius, qui ſimili nuncupatur nomine, ille enim ex miniſterio paſtorum fuit de opido thecue, Hic autem genere*